

44 DE RESTITUENDIS DUOBUS VERS. JOS. XXI.

urbes in versibus controversis recensitas præterea, non 48. sed tantum	
44. habebis. Tribus enim Judæ, Simonis & Benjamin dederunt civi-	13. v. 4.
tes	
Tribus Ephraim, Dan & dimidia tribus Manasse dederunt	10. v. 5.
Tribus Iaschar, Aser, Napthali & dimidia tribus Manasse	
dederunt	13. v. 6.
Denique tribus Ruben, Gad, Zabulon dederunt	12. v. 7.

Summa 48.

Singularum urbium nomina citato capite enumerantur, ut liquido con-
stet, quas quævis tribus civitates Levitis concederit. Nec prostat ratio,
quare quatuor Rubenitarum urbes omisæ sint. Ad oculum pater scripto-
rem Sacrum in mente habuisse Rubenitarum urbes, easq; ter numerasse,
prima vice in v. 7. ubi dixit: Rubenitas, Gaditas & Zabulonitas dedisse
~~xxi~~ l. urbes; altera vice, v. 40. ubi easdem urbes Meraritis datas repetit;
tertia vice v. 44. ubi numerum omnium urbium Levitis datarum ad 48.
ascendere narrat. Quis suspicetur, urbes quasdam memorie lapsu non
esse recensitas. Quod vero tot haud vulgari eruditione insignes viri ma-
gis Judæorū traditiones, (Masora enim est traditio) quam ipsius Scriptori-
ris verba, mentem & scopum spectaverint, inde accidisse videtur, quod
præjudicio Masoræ, quam Judæi Christianorum Magistri antiquam &
infallibilem crepare solebant, abrepti fuerint. Nobis vero tanta non est
Masoræ autoritas, ut ipsius Sacri Scriptoris autoritati præponderet. Qua-
re rejiciamus eas Masoræ partes, quas falsas deprehendimus, imitaturi
saniores Judæos, qui vestigia Masoræ non ubique adorant, quod ex su-
perioribus eluiscit. Recipiamus versus in triste exilium detrusos, sic
permanebunt Sacri Scriptoris verba integra, sensus perfectus, & urbi-
um numerus completus, neque verendum est, ut impudentes Scriptu-
ræ hostes Scriptori sacro memorie lapsum imputent. Plura tollet per-
spicax & sedula posteritas dubia, hactenus a multis notata, sed nondum
remota, si modo sanctæ linguæ studium, quod Ecclesiæ veritatem, &
Reipublicæ tranquillitatem dedit, constanter floreat, & Eruditi per a-
spera ejusdem

*Virg. En.
VII. 272.*

*Nomen in astra ferant: hoc ipsum poscere fata
Et reor, & si quid veri mens augurat, opto.*

F I N I S.

Err. p. 15. loco ה' אלףים lege ח'.



Coll. diss. A. 1, misc. 20